

vant. Ad secundum respondet *S. Bernardus ep. 47.* quod infantes quando baptizantur, non omnino fide carent, sine qua impossibile est placere Deo; sed salvantur & ipsi per fidem, non tamen suam, sed alienam, qui sine forde non nascuntur aliena: idem dixerat *S. Augustinus l. 1. contra duas ep. Pelag. c. 22.* *In Ecclesia Salvatoris parvuli per alios credunt, sicut ex aliis quæ remittuntur peccata traxerunt.* Unde autem scimus, Deum parvulis imputare fidem Ecclesiæ? Ex Traditione Apostolica, ut docet *S. Augustinus lib. 4. contra Donatistas c. 24.*: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum, rectissime creditur.* Ad tertium tandem respondemus, nos non negare Servatorem nostrum, in statura puerorum simplicitatem, & humilitatem Christianam commendare voluisse; at negamus, verba illa: *Sinite parvulos venire ad me* mystice tantum, & tropologice intelligenda; neque hic Tertulliani auctoritas aliquid valet contra Evangelii veritatem; nam Evangelii verba ostendunt, simul de veris infantibus institutum esse sermonem, & quidem vere infantes illos fuisse, *v. 15.* *Afferebant autem, sic Sanctus Lucas cap. 18., ad illum & infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli increpabant illos. V. 16.* *Jesus autem convocans illos dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos: talium est enim Regnum Dei,*

P R O P O S I T I O II.

*Longe melius, & utilius est in infantia, quam in proveciori etate Baptismum suscipere.*

§. XIX. Ecclesia Catholica, mater nostra, veritatis magistra, quia a Spiritu veritatis edocta, & melius, & utilius judicavit, per Sacramentum fidei homines adhuc infantes Christo regenerare, quam expectare proveciorem aetatem, quinimmo Baptismi dilationem nunquam probavit; hinc ab Ordinibus rejecti sunt Clinici, ut præter alios testatur *Cl. Claudius Fleuri in instit. jur. Eccl. P. I. c. IV. c. VI.* his verbis „ Ab Ordinibus præterea repelluntur Clinici,